



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1712

Q. 302. Cui facienda sit confessio annua.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42433

quia possessio est pro ipsius libertate contra legem, tum etiam quia lex est de confessione absoluta, id est, de confessione mortalis certi, quale non potest afferre talis puer: sed *Castrop. & Bosco* n. 38. rectè dicunt post septennium obligari, quia tum præsumitur plenus usus rationis, ergo lex est in possessione, lex autem præcipit confessionem, abstrahendo an absoluta an conditionata sequatur absolutio: Neque verum est, quòd lex sit tantùm de confessione mortalis certi, nam secundùm dicta à nu. 605. etiam est obligatio confitendi dubia.

Q. 302. Cui facienda sit confessio annua. R. §. 2028.

1. Ut satisfiat, debet confessio fieri proprio Sacerdoti, id est, habenti potestatem absolvendi hunc pœnitentem & ad hoc approbato: Nec sufficit, quòd sit Regularis, qui pro approbatione se præsentarit Episcopo fueritque dignus approbatione & injustè sit repulsus, uti constat ex hac 13. prop. ab *Alex. VII.* damnata: Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobat: Quamvis enim Episcopus sic rejiciens peccet, non ideo Regularis evadit approbatus.

§. 2. Quamvis fuerit aliquando obligatio annuè confitendi proprio parocho, tamen nunc certò satisfaciunt, qui confitentur Regularibus privilegiatis, uti satis ostendit *Busenb.* relatus. n. 2002. & patet ex Bulla 22. Leonis X. *Dum intra mentis arcana*, §. 6. Pauli III. 48. *Licet debitum.* Item ex constitutione Joannis XXII. in Extrav. *Vas electionis*, De hæreticis: *Benedicti XI.* in Extrav. *Inter cunctas*, De privilegiis. *Clem. VIII.* *Significatum fuit nobis*, apud *Platel.* n. 738. Possuntque videri *Azor* l. 13. c. 2. q. 2. & *Suar.* d. 26.

d. 26. f. 2. qui pluribus id probant. Quamvis autem ordinariè non teneatur Parochus per se ipsum audire subditum, sed satis sit remittere ad delegatum, uti cum communi *Aversa* q. 16. f. 11. tamen si quis pro annua confessione vel in articulo mortis confiteri velle ipsimet Parochus, *Posssev. Dian. Avers.* dicunt tum fortè obligari per seipsum audire. Vide dicta l. 6. p. 1. d. n. 133.

2030. §. 3. Si quis confessus alia mortalia omiserit reservatum, quia hic Confessarius non habebat potestatem ad reservata, putat *Bosco* nu. 125. iterum teneri isto anno confiteri, quia non est confessus proprio Sacerdoti, proprius enim erat ille tantum, qui posset ab omnibus directè absolvere. Contradicit probabiliter *Herings*, quia ille erat proprius respectu omnium, quæ hic & nunc debebant exprimi: & ex opposita sententia sequeretur eum, qui toto anno non posset recurrere ad Superiorem, toto anno non teneri confiteri, non enim teneretur ad confessionem, per quam non satisficit.

2031. §. 4. Si *S. Petrus* assumpto corpore me confitentem audiret & absolveret, absolutio confiteri deberet valida, non enim fiet, nisi Deus velit eum esse extraordinarium Ministrum huius Sacramenti, qualem posse esse Angelos & Beatos certum est cum *S. Th.* 3. p. q. 64. a. 7. Putat tamen *Lugo* in *Resp. mor. c. 1. dub. 16.* non fore satisfactum præcepto confessionis annuæ, tum quia non fuisset confessus Sacerdoti proprio, tum etiam quia non subiecisset peccata mea clavibus Ecclesiæ, quas jam non habet *S. Petrus* sed Papa ejus successor.

2032. Q. 303. Qualis debeat esse confessio, ut satisfiat
hinc